

III.
NEOVIDENSIS

Nro 9. (*Neovidensis* 1805. Nro 5.)

Secretum litterarum commercium vivos inter,
ac mortuos.

Cujusdam vita functi lictoris humillima supplicatio de restitutione baculorum, et scuticarum.

Elysiū -- Meum. -- Die Martis 29. Jan. 1805. (Neov. 15. Jan.)

Vehementer gaudeo, reduci iterum antiqua instituta, potissimum autem, a quodam perspicaci, rerum usu probe subactō Jurisconsulto post longam experientiam publici juris esse factam sequentem supplicationem de restitutione baculorum, & scuticarum.

Profecō oportet me, ita ille scribit, defensionem suscipere harum duarum personarum, quæ non contemnendam habebant olim apud populum auctoritatem, modo autem, ut apparet, omni jure destitutæ sunt adeo, ut inter crepundia referantur. Sola mea benignitas me cogit adesse eorum causæ, nemo enim mortalium vult suo satu, & dignitate spoliari. Interea benevolentia id non effecisset, nisi persuasum haberem, utriusque personæ competere jus ad rem, & rei-

psa graviter sunt læsæ, eapropter religioni mihi ducerem, si eas meo patrocimio non sustentarem.

Ad te se mea convertit oratio, veneratione dignum Publicum, edissere, suntne necessariæ pœnæ, vel secus? Credo, in hac minime captiosa quæstione non multum deliberabis, quid sit respondendum, affirmabis, omnino necessarias esse pœnas.

Quamdiu inter homines omnis generis helluones, & trifurciferi reperiuntur, tamdiu nocentes male multandi sunt. Secus enim omnes homines deberent esse sapientes, & prudentes, & leges, quod quidem huc non pertinet, nihil arbitrarii continere.

Verum quem debent pœnæ finem intendere? Etiam ad hanc interrogationem facilis est responsio, tantundem enim reipsa denotat, atque prior. Ut improbi a violatione legum retrahantur, quod si lenioribus mediis nequeat obtineri, ut adhibeatur severitas, quæ ingratum, & acerbum in iis excitet sensum. Forte ut emendeur? Uique dictum est, per pœnas id intendi, ut transgressor legis ad frugem reducatur, verum ego in animum inducere nequeo, eos rite intellexisse, quid dixerim. Non repugnat quidem iste finis, ac illum hæcenus fuisse obtentum, nulla habeo indicia. Id unum quærebatur, ut homines metu pœnarum deterreantur a violatione legum, quod profecto longe aliud est, quam emendare.

Si itaque animadvertatur in homines nocentes, esine necesse, ut pœnam persenti-

scant? Quis iverit inficias? Ita enim quempiam punire, ut is nullum inde percipiat sensum, est non punire. — Ego duobus utor famulis. Uni nomen est Georgius, hoc omnia confuse agente, resque maximi momenti negligente excandescere soleo, & exclamare: o stolidum, & abdomini natum pecus! non te pudet adeo socordem esse? At ille sine omni sensu reponit: Hem! quid tandem est? neque sinit se vel minimum turbari in ducendo herbæ nicotianæ fumo. Longe asperius adhuc possem illum objugare, sed æthiopem lavarem.

Alter autem meorum famulorum audit Joannes, multo meliore præditus indole, si istum talibus compellarem nominibus, certo certius desereret servitium, summum, quod dicere possum, est: Joannes! hoc est inepte factum, quod unicum verbum integra die & sæpe longiore tempore illum non leviter mordet.

Jam, veneratione dignum Publicum! faciamus hujus rei applicationem. Consideremus nostras Provincias, magna pars plebis ex ejusmodi crudis, omni sensu carentibus Georgiis componitur, & nonnisi pauci honoris studiosi Joannes reperiuntur. Ex his facile patet, valde præpropere esse baculos, & scuticas extra usum positas, quæ res mihi ita clara videtur, ut nihil amplius adjiciendum sit. Hoc tamen omnibus æque pervium non est, secus Politia, & Justitia non fuissent passæ sibi tam eximia instrumenta e manibus extorqueri. Quapropter quæpiam

adhuc pro honore harum personarum in medium proferenda sunt, tametsi in fine omnia prioribus consentanea sint futura.

Jam secundo incolo hanc urbem, in qua diversæ artes, atque astutiæ, & plura similia exercentur, quæ alias baculis, & scutica coercerentur. Nuperrime idmodi artifex acervum frumenti valde scite ex campo sustulit, & alia adhuc plura sui artificii specimina dedit. Cum tamen hæc ars nondum numeretur inter liberales, attamen spero, ut eo eluctetur adhuc — fuit hic magister in arte pro 14. diebus in custodiam datus. Fuitne hæc tanto ingenio condigna pœna? Nequaquam, veneratione dignum Publicum! iterum, iterumque affirmo, tali magistro 14. diebus carere libertate nullum erat supplicium. O quoties ille suis meditationibus intentus 14. dies ad fornacem consumpsit, & nec domo est egressus, præsertim si pane provisosus erat. Sæpè se totum honesto tradidit otio, captans ex animo quietem. Forte pœna est defectus cibi? Nihil horum. Talis artifex gaudet in carcere bono victu, minimum datur ei jusculum, quo domi quadrante anni non vescitur, sed etiamsi tantum ad panem, & aquam condemnaretur, tantundem haberet, quantum plerumque ejus convivium efficit, & quale demum hoc infortunium pro tanto ingenio? At ignominia? Obsecro, istud silentio prætereatur; nam profecto talis homo non cogitat esse dedecus aliquo tempore in ergastulo sedere, & si cogitavit, minoris illud facit, quam vel semel ab uxore sua

corripi. Idem etiam in Magistratum inhumana efflutivit verba, a quo si propterea illi diuturnior detentio in carcere intentur, risu excipit minas.

Dabo aliud exemplum: Nosco hominem, qui terribilem in modum tractat suam uxorem, & proles. Fames, & gravia verbera pertinent apud eum ad diurnum ordinem. Vicini, & uxor diversis jam vicibus imploraverunt auxilium Magistratus, qui perpensa rei justitia eundem sæpius carceri mancipavit, & quidem carcer illi subeundus erat jam duabus, jam quatuor horis, jam media die, imo, nisi fallor, etiam integra, cæterum nunquam integram diem ibidem continenter exegit, sed hodie unam tertiam diei partem, cras, & perendie tantundem, ut etiam domi possit suos labores peragere, quibus se, & familiam alit. Hunc hominem ego aliquoties ex carcere domum revertentem conspexi, nam ante meas fenestras transibat. —

Atque ita mecum argumentabar: Hic homo est punitus, pœna multum habet acerbitatis, hæc ergo in ejus vultu apparebit, minimum aliqua indignatio, ægritudo, aut tristitia. — Studiose in hæc inquisivi, sed ne leviam quidem apprehendi indicia. Vice quadam obviam ei factus quidam familiaris interrogavit: Unde redis magister Crispine? Cui ille: A lictore, aliquot horæ mihi apud eum insumendæ erant; nunc repeto domum. Plura non commemoravit, nullam attulit excusationem, sed nec est conquestus, se duriter fuisse habitum.

Vide sis, æstimatissimum Publicum, similes historiolas possem sexcentas narrare, at

non me latet, easdem tibi esse cognitās. Hujus tamen non possum non meminisse: Vir illustris ob grave quodpiam delictum fuit pro quatuor horis ad pœnam carceris in pane. & aqua subeundam condemnatus. Contra tam miserum victum ille nihil potuit excipere, non enim jejuno stomacho ingressus est carcerem, sed sumto prius prandio. Quisque existimavit, eum ob tam tenuem, & inusitatum victum macie conficiendum, sed profecto exiens ex carcere nihil miseriarum præsetuit.

Nunc pono quæstionem: Suntne istæ pœnæ? Si mea baculo, & scutiæ ant qua inesset auctoritas, manibus palparem, dari pœnas. Talem crudam indolem, illam enim certo tangerem, talem inquam indolatam indolem verberum dolore laniarem, & quidem posito omni joco; sentire deberet pœnam, ut non putet, me voluisse ludum instituere. Ego illum inhumatum homuncionem pro 14. diebus, vel 4. hebdomadibus carceri includam, ut sagnem? M nime gentium, pecuniam darem potius pauperum instituto. Ego illius proclivitatem ad socordiam & otium alam? Absit. Primum graviter hominem pulsarem, deinde detruderem in ergastulum, ut ibi indignitatem commissi facti perpendat, & ne in prima furia ad suos remittatur. Deberet autem integram diem in tenebris exigere, & quidem absque omni pane, absque omni aqua, ut hoc ferum animal novam adhuc luat pœnam, fameque maceratum, atque mansuefactum domum revertatur. Sic coër-

citius poterit iterum rem familiarem curare, & ad labores regredi, quod magis expedit, quam si ex ærario publico sustentetur, vel Magistratus, si sine eo uxor, & proles vivere nequeant, illum ante dimittere debeat, quam tempus pœnæ elabatur. In hac enim inconueniente pœna Magistratus se periculo exponit amittendi existimationem, cum sibi ipsi contradicere debeat, ante tempus remittendo pœnam. Cur nihil deberent modo baculi, & scuticæ amplius valere, siquidem in locum illarum nullæ poterant convenientes substitui pœnæ?

Verum hæ pœnæ adeo inhumanæ sunt, & duræ!

Amantissimum Publicum! hic tibi manifeste dissentire cogor; si enim tu in tuas stultas cogitationes delabaris, bilis in me commouetur. Observastine aliquando in his futilibus sermonibus micam inesse prudentiæ? Perspectum habeo, quam pulchre sonet, quam insignem, & pene divinam denotet mansuetudinem, si pœnæ ita leniter feriant hominem, ut eas nec sentiat. — Hoc eximium conciliat honorem legislatorum benignitati, an etiam eorum cognitioni, quam habent de hominibus? Probene vos nocitis homines, pro quorum delictis ejusmodi pœnas statuitis? Estisne inter eos versati? reddidistisne vobis familiarem eorum cogitandi modum, eorum sensa, atque indolem: profecto tam graviter non potuissetis errare, nunquam dubitassetis, homines feros, & incultos, qui vera boni cognitione carent, nec honore, nec pudore

ducuntur, unice a motibus animalibus dependent, sine omni educatione inde a juventute adoleverunt, non posse aliter, quam pœna corporali a delinquendo absterreri. At vos pœnas decernitis, ac si nostra infima plebs ex meris probis, & bene moratis, aut saltem honestis hominibus constaret. Si ita essent omnes comparati, rectam instaretis viam. Sed suntne revera tales? Non animadvertistis ex copiosis furtis, frequentibus compositionibus, turpi libidine, furente vindicta, sanguinolentis rixis, crescente numero mendicorum, & majora in dies incrementa capiente furore ludendi, quibusnam cum hominibus vobis agendum sit? Vos forte putatis, per id, quod in publicis Ephemeridibus nonnulla vulgentur, quæ speciem humanitatis redolent, promoveri moralitatem hominum, & iudiciis inferioribus adimitis omnia media, quibus possent legibus auctoritatem conciliare, & bardis hominibus metum incutere, quo a delictis abstrahantur. Vos domos correctorias convertitis in instituta, quæ vitæ subsidia præbent, in hæc enim redire cupit dimissus improbus, quod ibi lautius habeatur, quam domi in summis solennitatibus. Vos labefactatis sacrosanctum Patrisfamilias imperium domesticum, quo solo poterat ordinem in sua domo conservare, atque negotia ad amussim implere. O utinam tandem aliquando propriis oculis majorem hominum partem spectaretis, longe aliam eorum notitiam vobis compararetis, quæ vos certe etiam alium rerum ordinem doceret, quo observato omnia melius procederent.